

Julie Nováková

Praha

DE J. A. COMENII CONTINUATIONE ADMONITIONIS
FRATERNAE EMENDANDA

Omnium quae de vita sua scriptisque memoriae Comenius prodidit, uberrima in tractatu leguntur, qui a parente suo omnino ultimus prelo est anno 1669 commissus atque *Continuatio admonitionis fraternae de temperando charitate zelo* inscriptus (infra Continuatio).¹ Hic intentione quidem prima pugna erat bellatoriusque, ad S. Maresii invectivam *Antirrheticus* intitulatam² respondens; sed ut Maresius Antirrhético suo i. a. Comenii Pansophiam traducere cavillarique est conatus, ita noster ante alia sub nomine Continuationis Pansophiae suae apologiam dedit, serie temporum ab a. 1628 omnia huc spectantia (Janua lingvarum nullatenus excepta) enarrans iustamque autobiographiae partem posteritati tradens.

Continuationis Comenianae ad hunc diem unicum modo exemplar repertum est, idque Leningradi (Publičnaja biblioteka im. E. M. Saltykova-Ščedrina, sign. nescitur). Hoc a. 1912 Ján Kvačala invenit neque apologiam totam, sed §os solum 39—128 edendas curavit;³ partem nempe, quae (praeunte J. Hendrich, de quo mox) pro auctoris autobiographia vulgo habetur. Paginam tituli, dedicationem, §os 1—38 (quae sunt mere polemicae) fere semisaeculo post Antonín Škarka publici iuris fecit, paginarum imagunculas lucis ope pictas (microfilm) a Leningradensibus communicatas secutus omniaque, quae ad Continuationis historiam pertinent, editioni suae praeiungens.⁴ Ceterum exemplar Leningradense in fine est mutilum, §1 129 nil nisi ille qui dicitur custos exstat (pag. 48 fin. 129. Ve-), auctoris de Pansophia narratio ad a. modo 1658 deducta est; an opusculo ultimam apposuerit manum, dubitatur.

Continuationis textui restituendo multi insudaverunt. Primus nimirum J. Kvačala, editione sua multa emendans, sed etiam — quippe vitam negotiis nimis

¹ CONTINUATIO ADMONITIONIS FRATERNAE de temperando CHARITATE ZELO. Cum fidei DEHORTATIONE à PANTHERINA INDOLE ET à LARVIS, JOH. COMENII ad S. MARESIUM: Pro intentione prima, minuendorum Odiorum, ampliandorumque Favorum: Aut ad tradendum finaliter obstinatos Divino et humano Judicio. AMSTERDAMI, Apud JOHANNEM van SOMEREN, Bibliopolam. 1669.

² SAMUELIS MARESII ANTIRRHETICUS, Sive DEFENSIO Pii Zeli pro retinenda recepta in Ecclesiis Reformatis Doctrina, praesertim adversus Chiliastas et Fanaticos, CONTRA JOH. A. COMENII Fanatici zelum amarum, scientiâ et conscientiâ destitutum... GRONINGAE, Typis JOHANNIS COLLENI, Bibliopolae et Typographi, Anno 1669.

³ Komenského poslední rozpomienky. AJAK 3, 1913, 6—51.

⁴ Nové komeniologické texty, pars I: Neznámý začátek polemiky Continuatio admonitionis fraternae z r. 1669/70. AJAK 20, 1981, 1—31; tabulas phototypicas v. pag. 2.

dense obrutam agens — tum corrumpens, tum a typographo corrumpi passus; ita ut ipse, fragmenti praesertim initium lectori male esse communicatum confessus, §^{os} 39—42 anno post denuo meliusque excudendas curaverit.⁵ Huic editioni correctiori iam Iosephi Reber ad Continuationis §^{os} 39—128 adnotationes imprimis realia, aliquot et lectiones interpunctionemque concernentes editor subiunxit.⁶ Plurima mox Stanislav Souček attulit, statim a. 1914 editionem Kvačalianam recensens⁷ decemque annis post versionem expendens Hendrichianam.⁸ Josef Hendrich Continuationis §^{os} autobiographicas Bohemice vertens non solum versione sua, ut translatorum mos fert, emendationes aliquot suggestit, sed coniecturas verbis expressis commentario suo appendit.⁹

Hi tres multa ingeniose satis, sed editionem neque bonam, neque plenam pro fundamento habentes. Quod pervidens Ant. Škarka, qua erat diligentia acribiaque, non solum Continuationis partem a praedecessore omissam reeditit, abbreviaturas qua potuit supplevit, errores typographicos pro parte virili sustulit (i. a. viros doctissimos Jaroslav Ludvíkovský et Miroslav Boháček consulens), sed insuper et §^{os} 39—128 cum textu Kvačaliano contulit, totius libelli editioni vere criticae viam sternens.¹⁰

J. A. Comenii Operum omnium corpus, ut nunc est rerum status, voluminibus (vel semivoluminibus et sim.) constabit 56; theologica, polemica, dubia novissimis (ante Indices) sunt reservata. Continuationi ante tempus manum apponere Sueci Norvegique nos quasi coegerunt, quibus Continuationem lucis ope exprimere versionesque duas (Suecicam et Anglicam), commentarium historicum, apparatus criticum ei addere placuit.¹¹ Commentarium Milada Blekastad conscripsit (cui minutis aliquot subservire potui), adnotationes criticas ipsa confeci. Hac occasione Continuationis fragmentum totum *κριτικῶς* revisendum mihi proposui revisionisque rationes commentatione speciali reddendas statui. Nam quod viris supra memoratis fato non obtigit, mihi ab a. 1961 peculiariter est datum: Latinitati Comenianae incumbere eoque gentium praeceptoris scripta latina secundum ipsius normas revisere et, sicubi opus, emendare. Ceterum ne sic quidem infallibiliter, ut mox videbitur.

Liber non ita male excusus maxima ex parte mendis est conspersus, qualia emendatu sunt facillima; nec tamen sic multa, ut nonnullis videbantur. Primum igitur lectionibus bene traditis est attendendum memorabilioribus, locis nempe, quos viri docti aut male legerunt, aut pro corruptis habentes quasi emendaverunt.

Illorum, male scil. perlectorum (resp. male recusorum), messis uberrima apud Kvačala exstat; quae in extenso enumerare operis esse pretium non duco. Aliquot modo exempla citare libet. Comenius quid Amsterodami egerit, §^o 122 Diariorum suorum ope narrare vult, *referam et Diariis meis* sec. Kvačala; loco coniunctionis et Hendrich et Souček *ex* coniecerunt — oleum et operam perdentes, nam in libro ipso è legitur. — Amsterodami Comenium multi convenerunt, i. a. *amicus dilectus* Rulicis, qui saepius, etiam *S. Die*, ut habetur apud Kvačala §^o 125; hoc Reber

⁵ *Poznámky k článku Komenského poslední rozpomienky*, pars I. AJAK 4, 1914, 11—14.

⁶ Commentationis modo citatae pars II. AJAK 4, 1914, 14—21.

⁷ ČMM 38, 1914, 139 s. et 461 ss.

⁸ ČMM 48, 1924, 329 ss.

⁹ *Jana Amose Komenského vlastní životopis*. Přeložil Josef Hendrich, Praha 1924. V. praesertim pag. 131 s. *Poznámky k textu Kvačalova vydání*.

¹⁰ Vide ipsius adnotationes monitiunculasque commentationi supra citatae insertas, pag. 9 s. et 30 s.

¹¹ Voluminis inscriptio nondum collaudata haec est: *Comenius Autobiography*. Stockholm 1973, Vol. 130 Årsböcker i svensk indervisningshistoria.

per sequente die, Souček sequenti die transcripserunt (hic §^o 128 innixus, ubi legitur *hebdomade sequenti*); at ut Škarka vidit, liber 5. *Dec* (sine puncto, unde forsan erroris origo) habet.¹² — §^o 101 i. a. de Joh. Effronio agitur, qui in pastorem ecclesiae Puchoviensis a Comenio est renunciatus — locus mea quidem sententia desperatus, qui infra expenditur totus; in quo phrasi suspectae *renuntiatione praemisso* [!] Kvačala sic voculam addidit nec uncinulis clausit. Ex hoc sic Reber loci interpretationem contexuit totam. Voculam l. c. omnino non exstare Souček suspicatus est, Škarka vidit. Etc. etc. Ceterum ubi materiarum multitudo, ibi confusio; Škarka ipse §^o 32 casum ablativum *satana* vidit, à *Satana* coniecit, sed libello revera legitur: *Omnia haec Larvas inducendi instrumenta à satana primo authore venire dixi*. Summa summarum: nulli editioni modernae fidendum, nocturna diurnaque manu illa princeps versanda.

Lectionum probe traditarum ab emendatoribus correctarum plus piget; has recensere decet omnes.

Continuationis titulus alter *De temperando charitate zelo* ipsi J. V. Novák, viro alias de Comenianis oprime merito, displicuit, qui ablativum *charitate* in gen. *charitatis* mutavit — sciens volensque an paulisper dormitabundus, non refert;¹³ certe ab Hendrich refutatus est, nam zelus charitate est temperandus, cf. et Continuationis §^{um} 25 (quem neuter vidit): *ego de temperando charitate Zelo te* (sic Škarka; *Zelote, Te* liber) *admonens* etc.

Allegationum duarum, quas Dedicatoriae praeiunxit auctor, inscriptionem alteram expendens Škarka, nempe *Ivo Parisinus Juris Naturalis lib. III. leg. 7. p. 558*, abbreviaturam *leg. in lex* correxit, usum Ivonis ipsius imitatus.¹⁴ At melius videtur usum Comenii sequi, qui in citationibus quoad scio semper casum ablativum ponebat, cf. mox infra fol. *3v/4r Caroli Magni Ludovicique Pii *leges Ecclesiasticas* inductas sic: *Libro I. Capitulo 65. ... Libro V. Cap. 245.* etc. Saepissime autem in abbreviando unicam tantum litteram (ut etiam alii) omittebat, e. g. infra §^o 43 *Didactica mea ... ut nunc exstant Part. I. pag. 5. ad 196.* et §^o 60 *Latinitatis Templo ... ut exstat Didacticorum part (!) I. p. 318.* etc. Ut *part.* = parte, sic nostro loco *leg.* = lege.

Locus allegatus sic incipit: *Videmus ... quosdam acri zelo ... percitos, quoslibet defectus ut ingentes ruinas conclamare*; ibi illud *percitos* Škarka *persitos* legi voluit — non sine causa: idem habet Ivo l. c. At hoc participium, quod metaphoram nimis claudicantem facit, Comenius ni fallor pro corrupto habens verbaque citata omnino libere tractare solitus *percitos* coniecit (quod est Ciceronianum, Plautinum et sim.). Quae correctio non est loco movenda, lectio apud Ivonem tradita in adnotatione critica ponenda.

Apologiae ipsius §^o 2 multa Maresii convicia auctor repetit, i. a. se esse *individuum vagum ... Cujus (ejus Maresius) Theologia portentosis et Achristianis opinionibus scatet*. Adnomen *Achristianus* nisi ex Maresio Comenioque non novi, sed ad sensum illiusque stilum optime quadrare video, cf. Antirrheticus VI, 4 (Anticartesiani) *non erunt ita fatui et tam parum (!) Christiani*; III, 4 *Iniquè ... et parum (!) Christianè Comenius Antichilias traducit*; IV, 5 (Comenius) *valdè ἀθεολογῶς ...*

¹² In Comenii verbis citandis litteras maiusculas, accentus, interpunctionem et sim. ad normas modernas non revocanda putavi: eo fine, ut hinc nascentes editorum molestiae facilius intelligantur.

¹³ *Nové zprávy o Komenském dle vlastních jeho vzpomínek*. Pedagog. rozhledy 26, 1912/1913, 674.

¹⁴ *IUS NATURALE REBUS CREATIS A DEO CONSTITUTUM. Ex observatione P. IVO-NIS PARISINI ... Parisiis MDCLVIII*, p. 554: *Excessu plurima depereunt. Lex 7.* Sic (nom. lex) ubique, etiam in contentorum indice fol. el—F 4b.

loquitur. In abl. igitur *Achristianis* illud α privativum in praepos. *avri* mutandum non censeo (*Antichristianis* Škarka). Ceterum subst. (I) *Antichristianus* et *Antichristianismus* apud Maresium plene exscripta leguntur, v. cap. II, 8 et 23; IV, 6 et 13; V, 15; VI, 14.

De larva, quam per Antirrheticum adversario se detraxisse triumphare volebat Maresius, rescribens Comenius 7 puncta adumbravit: primo loco larvae definitionem daturus, nempe I. *Quid et quotuplices sint LARVAE*. II. *Quam variè SATAN... faciebus humanis Larvas superinducat* etc. (§ 27); tum §^{um} 28 *De I. Larva quid, et quotuplex* inscripsit. Si bene auctorem nostrum novi, hoc *De I.* nil est nisi *De I°*, cf. eiusdem Consultationis brevissimam delineationem, cuius capitula sic sunt inscripta: *De I^o ... De II^o ... De IV. ... De V.*¹⁵ Non bene igitur idem vir doctus: *I. De larva quid et quotuplex*, casum nominativum in ablativum vertens. Voculam ceterum interrogativam Comenius post subiectum demum ponere solebat (*Larva quid* etc.).

Locus communis de avaritia in §¹ 36 genitivo dilatato latet, *Hominis... ad explendum phantasias cupiditatem terras et maria circumcursantis*. Ut notorium, gerundium cum accusativo obiecti persaepe posuit Comenius; pro hac rectione „Sallustiana“ auctori gerundivum „Ciceronianum“ non est impingendum (*explendam* Škarka).

In Anglia quasi in theatrum protrahi aegre ferens Comenius ab amicis hoc saltem impetravit, ut sibi latere liceret, silentia de se pactus: *silentia ... de me pactus* (§ 52). Loco *silentia* numerum sing. *silentium* Souček proposuit, cui subscribere non possum: tum quia de silentio plurium personarum agitur, tum quia usum poetarum sequi noster gaudebat, sed ante alia codicem Comenianum autographon illum praeclarum respectans, Clamores scil. Eliae, in cuius fol. 267d phrasin bene legibilem *silentia imponere* inveni.

Londinii commorans Comenius ecclesiae Belgicae coetus ordinarie frequentabat, *Pastorum amicitia fraternè usus* sec. §^{um} 55. Accentuum in editione Kvačaliana absentia fortasse factum est, ut Reber loco *fraterne* legi maluit *fraterna*; lectionem genuinam bene Škarka defendit.

Emendationum supervacanearum vel potius nocivarum audacissima in §^o 63 est nata, ubi Johannes Matthiae episcopus Comenium de suo cum Christina Sueciae regina colloquio certum facit. Comenii narratio incipit sic: *Digressuro inde mihi dixit* (scil. J. M. episcopus Comenio): *Placetne alloqui Reginam? Nihil à quoquam mandatum habeo, dixi. Ille: Indicavi Reginae te cras abiturum, et forsitan non dimitendum sine honore osculatae manus. Quaesivit* (Christina scil. ex episcopo): *Quid lingua me alloquetur?* (nempe Comenius reginam) *Respondi* (episcopus Christinae), *Lingva eruditorum; ut videat* (Comenius certe), *quantum è sua Janua Lingvarum profeceris* (eam enim illi jam explicuerat totam, scil. episcopus reginae). *Auditus Reginae fui* etc. Kvačala paragrafum quinque locis „correxit“ dialogique personas invicem permutavit: *Quaesivi* (scil. ego Comenius) ... *respondi* (episcopus Comenio sec. Kvačalam) ... *videas ... e tua ... profecerit*. Hanc deformationem tacite devorarunt omnes, hanc Hendrich translatione sua secutus est!

In sententia *Ad reformationem Scholarum totius Regni Sueciae à Gubernatoribus Regni ... electum esse J. A. Comenium* (§ 65) cur illud secundum *Regni* ut ditto-graphiam deletum voluerit Hendrich, non liquet. In titulaturis neque Comenius, neque alii cacophonias cavebant.

Sueciae cancellario Oxenstiernio, cum a. 1626 in Elbingae evangelicos inquireret,

¹⁵ G. H. Turnbull, *Plans of Comenius for his Stay in England*, pars II. *Texts*. AJAK 17, 1968, 10 ss. Editio critica in DJAK 14, p. 119 ss.

a Joh. Coy (Koyen) consule sapienter responsum est: in urbe *factiosa Lutheri et Calvinii nomina ignorari; Christiani evangelici sumus*, inquit, *ex Evangelii Libris populum nostrum fidei articulos doceri volumus, Scholasticis subtilibus quaestionibus ad Scholas relegatis. Aut si quis Pastorum hujus vel illius Doctoris sententiam sequitur, sibi privatim habeat, Ecclesiam in publico non turbet* (§ 71). Coniunctio *Aut* nullam habet offensam, in *At* mutanda non est, ut translator Suecicus suggestit.¹⁶

Vertumnus famosus Barth. Nigrinus Comenio persuadens, ut Suecos missos faceret atque *Regi et Regno Poloniae operam offerret*, multoties *obtudit et variè sec. §um 75*. Loco verbi *obtudit* Reber *obtrudit* legendum suasit, quod Souček post bene dissuasit; vox enim *obtundendi* saepe in Comenianis venit, ipsa ad Montanum epistula omnium notissima incipit sic: *Toto jam biennio incessanter obtundis* etc.

Post Nigrini conversionem Comenius ad ipsius fautorem D. Palatinum Pomerelliae festinavit, *quid factum esset plenius cogniturus, querelasque meas*, inquit, *de familiari cum homine perfido (svasu Illustritatis suae) effusus* (§ 82). Illud *familiari* certe est mutilum; Hendrich *conversatione*, Souček melius *usu* suppleri commendaverunt. At auctoris autographa aliud suggerunt: Comenium *familiari*. (cum puncto) scripsisse, *familiaritate* in mente habuisse. In emendando certe (ceteris paribus) simpliciora meliora.

D. Hulsemannum, Wittemb. professorem, quem ad colloquia Thorunensia Elector Saxoniae misit, Comenius bis convenit, idque ut ait ipse, *meorum nutu, Senatus a. Thoruniensis ... rogatu* (§ 86). Illud *a.* (= autem) nullatenus est adversativum (cf. par Graecum μέν — δέ) neque in postpositivum *-que* corrigendum (sic Sueci).

Comenium in Hungariam invitantes Principes Racocii *ad ecclesias in Polonia Dominumque de Geer pro impetranda dimissione* epistulas dederunt, ita ut Comenius tergiversari amplius non potuerit: *Quid hic facerem? prohibere id non potui* (§ 104). Lectionem *providere* loco *prohibere* a Reber propositam iure Souček refutavit.

De vocatione in Hungariam, refert Comenius §º sequenti, *nihil statui potuit, nisi prius D. de Geer mens pateret; Principibus tamen per Cursorem suum reponsum fuit, nihil adhuc promittendum vel negando sine D. de Geer*. Loco *promittendo ... negando* Souček *promittendum ... negandum* legi suasit, ingeniose certe, accusativum cum infinitivo ad illud *responsum fuit* lucrifaciens; at ut mea fert opinio, sine necessitate. Illud *responsum fuit* sine obiecto satis bene, ablativis gerundii pro participio aut pro sententia tota positus Latinitas Comeniana scattet; ita ut hoc *nihil promittendo ... negando* idem sonet, quod *neque quidquam promissum vel negatum*, aut *neque quidquam promitti vel negari potuit* etc.

Sed D. de Geer ne ad iteratas quidem interrogationes *respondit quidquam*, inquit Comenius §º 105 fine: *sive quod aliquis frigidam suffundisset, sive quod ... aemulum non ferret*. Post *frigidam* Reber *aquam* suppleri voluit, Souček iure noluit; nam frigida *ἐλλειπτικῶς* ponebatur, v. Plautus, Cistellaria 35 et Erasmi Adagiorum chiliades I, 10, 51. NB. Hac occasione grato proendum animo neminem adhuc ad illud *ustulavit* in §º 117 (scil. a. 1656 exercitus Polonicus, Lesnae *igne plateis duodecim simul injecto*) obiectum addidisse, neque ad *ternas* (§ 50), *vocatorias* (§ 56), *invitatorias* (§ 83) subst. *litteras* (sec. Comenium semper *litteras*) suppluisse.

Consulis Amsterodamensis primarii nomen in Continuatione ter positum, *de Graaf* §º 123 et 125, *de Graeff* §º itidem 125, Kvačala ad unam eandemque revocans normam, hoc *Graeff* in *Graaff* mutavit; quod merito Škarka reprobavit, Diogenis

¹⁶ In corruptelarum emendationumque tabella, quam M. Blekastad litteris 24. Mai 1972 ad me datis addidit.

Cynici, Scholae ludi, ODO ipsorum dedicationibus fultus, ubi idem vir semper *D. de Graef* appellatus est.

NB. 2. Res ipsa monet de nominum propriorum apud Comenium variabilitate paucis saltem disserendum. Cum dyade *Graef — Graeff (Graef)* cf. illa de Johanne Tolnai, cuius nominis non solum orthographia, sed et flexio vacillat. Hoc §^{is} 100 et 106 casu nom. *Tolnai* est positum; §^o 99 de *Joh. Tolnai (Hartlibii ... amici, tunc autem jam illustris Patakinæ Scholæ Rectoris)* epistola est sermo, ubi gen. duplex *amici ... Rectoris* nominis ipsius flexionem superfluum fecit; §^o 102 v. accus. *Tolnajum*, 106 *Tolnaeum*; 102 et 103 dat. *Tolnajo*, 103 abl. *Tolnajo*, sed cf. §^{um} 109 cum rectore *Tolnai*. Ceterum v. in ODO III dat. *Stephano Tolnai* (col. 133 s.); ibidem etiam vocativos *clarissime D. Tolnai* et *Domine Tolnai* (col. 61—63). — Similis varietas in toponymicis obtinet: Comenii asylum novissimum modo *Amsterdamum* vocatur (§ 50, 121, 122 etc.), modo *Amsterdamum* (54, 108, 119 etc., utrumque etiam in aliis Comenii operibus); illud Polonicum fere semper *Lesna*, at §^o 42 *Lesno*, idque in titulatura: *Illustr. Palatinus Belsensis, Raphael Comes de Lesno* (sic etiam Faber fortunæ *Comitibus de Lesno* est dedicatus); *Pomeraniae* (§ 66) bis est nomen *Pomerelliae (Illustr. Pomerelliae Palatinus 73, D. Palatinus Pomerelliae 82)*; Racociorum sedes *Patakium* vocatur §^{is} 102 et 106, at §^o 123 gen. *Pataki* sonat — quod nullatenus est corrigendum, nam apud Comenium saepius nom. *Patakum* exstat (e. g. in ODO III, 1050), immo et *Patakinum* (v. gen. *Patakini* in Fortii Erasmiq. editione Comeniana, pag. tituli),¹⁷ casu gen. *Pataki* alibi emergente (in eiusdem libelli dedicatione). — *Svedicum iter* (§ 62) nec non *Bellum Svedico-Polonicum* (§ 116) pro lectionibus aequè bonis sunt habendae atque *Svecia* (§ 61, 63, 65 etc.), *Svecicus* et *Sveticus* in Comenianis aliis et apud alios. — De Sueciae cancellarii *Oxensternii* (§ 64 et 71) nomine dubito, quod §^o 98 casu abl. *Oxenstirnio* est allatum. Haec eadem forma in epistula ad eundem Kalendis Nov. 1649 data habetur (apud Patera, Korespondence 126, pag. 156 *Domino Axelio Oxenstirnio*), et quod alicuius videtur momenti, in Continuationis §^o citato de rebus Germaniae agitur: *A Gustavi et Friderici morte (anno 1632) Principes Imperii ... Francofurti ad Moenum erexisse Collegium* narratur, in *Praesidio illi dato Sveciae Cancellario D. Oxenstirnio*. Cancellarii nomen genuinum erat *Oxenstierna* (sic apud Patera 117, p. 145; in ODO II, A 2v accus. *Oxenstiernium*), cuius diphthongum *-ie-* certe Germani ut *-i-* enuntiare poterant; at in autographis Comenianis saepissime littera *e* ab *i* discerni non potest. Ita ut litem hanc sub iudice relinquendam putem.

Hactenus de lectionibus bonis male emendatis. Quibus suo modo etiam abbreviaturae perperam suppletæ sunt adnumerandæ — prima in §^o 21, sec. quam Maresius non solum in Comenium, sed etiam in collegam, cuius nomen utrobique est oppressum, invecus est, *inveheris in R. collegam* etc. Vocis compendium volgatissimum *R. Škarka* per *reverendissimum* transcripsit, vix recte; nam in Grammatica Latino-vernacula 442 tales superlativi ut Illatini reprobantur, similiter Grammatica januali IX, 4 *Quamquam enim receptum sit Reverendissimus et alia quaedam, Latinum tamen non est; sed maxime reverendus*, cf. epistolam die 10. VI, 1642 *Studii Pansophici fautoribus* datam sic inscriptam: *Nobilissimi, Generosi, Reverendi* etc.¹⁸ Legamus etiam in nostro illo loco *Reverendum*.

Narrationem suam §^o 70 media auctor senex interrupit, morbo prostratus;

¹⁷ Agitur de Joachim Sterck (Fortii) Ringelbergii libello *De ratione studii* inscripto Erasmiq. Roterodami opusculo eiusdem nominis; quæ ambo Comenius a. 1652 Pataki recudi curavit dedicationeque (nequaquam præfatione, ut vulgo ponitur) ornavit. Huius re-editionem v. in VSJAK 9, 1915, 41 ss., editionem criticam in DJAK 13, p. 289.

¹⁸ Patera, Korespondence 43, p. 55; DJAK 14, p. 139s.

post hebdomadas aliquot reconvalescens reliquum tempus totum Pansophiae impendere statuit, peregrinationum suarum *historiolá* ... *quám paucis absolutá*. Illud *quám* ante positivum positum minime est Comenianum. Suspicio post *paucis* a typhotheta punctum esse omissum, resp. e tabula compositoria excidisse, i. e. in autographo *paucis*, scriptum fuisse, quod legendum est *paucissimis*.

Simile vocis compendium, quale in abbreviaturarum lexico vix invenias, in Theod. Simonii *historiola* habetur, qui librum de pappatu scripsit ediditque; huic praesente Comenio P. Claius librum suum refutare *non tantum obiter vel folio uno* suavit, *sed κατὰ πόδας* (sic Nováková; *πόδα* liber) *omnino, per omnes minut.* (§ 90). Hoc ultimum Kvačala nescio cur pro *innuit* excusum esse crediderit, post autem Iosephi Reber lectionem *minutias* libens amplexus est. *Minutiarum* vox Comenio erat familiaris, immo phrasis *per omnes minutias* illius *κατὰ πόδας* videtur esse translatio.¹⁹

Nunc minutiae aliquot, vel potius quae minutiae videri possint, sequuntur, loci scil., ubi interpunctio aut confusa, aut nostris insolita, aut ab auctore parum perpensa scopulus est lectori. Quod tum e coniecturis, tum e versionibus elucet.

De sua per varia distractione § 58 querens Comenius querelas concludit sic: *ut res in exemplum esse possit. Quod omnes agunt, neminem agere, quia alii alios turbant.* Sic liber; Hendrich vero, *že to můžže sloužiti za příklad. Co dělají všichni, nedělá nikdo, poněvadž jedni druhé pletou.* At infinitivo *agere* satis innuitur sententiam *Quod omnes ... turbant* ex illo *in exemplum esse* dependere, i. e. post *possit* comma (virgulam) esse ponendum. NB. Adagium *Quod omnes agunt, nemo agit* etiam Triertio allegatum est, cap. XVI ante fin.

Aliter, immo contrarie se res habet, ubi Comenius sententiae longiusculae membrum dependens ut principale tractat litteraque maiuscula inchoat, illud praecedens regensque contra puncto concludit. Talia in Comenianis plura invenimus nec tangere voluimus, rem pro symptomate Latinitatis vere vivae, familiaris, est ubi vulgaris habentes. In exemplum sit sententiarum series in Gentis felicitate § 49: *Imbelles et imbecilles facti, proculcamur. Studia sapientiae altiora negligentes ... ridemur. Deum ipsum contemnentes ... contemnimus. Ut (!) non dicendum veniat, quod ibi: Beatus es, Israel ... sed: Miser es, Hungare etc.* Huius eiusdem farinae in Continuatione loci sunt ni fallor tres. Si a simplicioribus ordiendum, primum § 105, ubi Principis Transylvaniae Cursori de Comenio nihil promittere vel negare sine D. de Geer audebant Fratres. *A quo cum altero mense nullum responsum veniret ... rediit ex Hung. Cursor, resolutionem sollicitans: iterumque tertio, et quarto. Ut tandem fratres mei ... de dimittendo me saltem ad tempus Consensum (an Consilium? Nováková) inirent.* Sententia *Ut ... inirent* certe a praecedenti dependet, idque sec. modelum *ita — ut.* Hoc pervidens Hendrich locum vertit ... *a stejné po druhé a po třetí, také konečně moji spolubratři* etc. Recte, sed respectu illius Latinitatis Comenianae symptomatis rectius esset: *A tak tedy konečně moji spolubratři* etc.

Simile quid § 39 legitur, ubi de Didacticae Januaeque linguae Latinae genesi auctor rettulit: (Lesnae) *usitatae Scholis methodi vitia ... notare, deque illis emendandis ita cogitare coepi, ut bonae quaedam observationes in Artis Didacticae systema coalescere inciperent. Ego verò Latinam Linguam totam unà cum Rerum omnium summaria cognitione, exiguo Libello includi posse videns, tentarem, sub titulo Seminarium Lingvarum et Artium omnium* etc. Hac vice Hendrich illud (ut) *tentarem*

¹⁹ Cf. Clamores Eliae fol. 141, ubi Comenius *Jonae Schlichting komentafe na Nový Zákon* reprobandis publice refutandos esse censet, sed breviter tantum, per locos primarios controversos eundo: *Non... omnia refutari necesse est, κατὰ πόδας: non legeretur opus opuloxum* etc. Phrasis *κατὰ πόδας*, si lexicis fides danda, apud antiquos tali sensu non ponebatur, v. Liddell—Scott s. v. *ποῦς*.

per *učinil jsem pokus* vertit, i. e. modum coniunctivum in indicativum corrigendum suggestit. Tali emendationi applaudere non possum.

Intricatiora sunt illa de Scholarcha Goldbergensi D. Wincklero §^o 41, *qui tantò gratius sibi hoc novum Methodi jubar affulsisse* (Comenio) *scripsit, quantò magis anxie illud prius et desideratum et desperatum fuit. Cùm enim bellorum injurià collapsam reparare vellent Scholam suam, misissentque excitati ingenii juvenem, Martinum Moserum, in Germaniam ad Wolfgangum Ratichium* (sic Kvačala; *Ralichium* liber) etc. Illud *misissentque* Hendrich ita transtulit, quasi legeret *miserunt*. Sed locus nullatenus est corruptus; sententia *Cùm* etc. temporalis quidem est unaque explicativa, tempus autem circumstantiaeque illius *desideratum et desperatum* cito nimis gravia sunt facta: retinuit ergo auctor modum coniunctivum, sed sententiam a praecedenti ut informationem novam interpunctionis ope avulsit; quod Bohemice verti posset *Rozumí se tenkrát, když* etc. Ceterum illa *vellent ... misissentque* (scil. Winckler cum collegis) itidem stili sunt liberioris neque in *vellet ... misissetque* mutanda, ut Reber voluerat.

Aliud quiddam est, cum auctor nimis festinans anacoluthis est usus, qualium multa in Consultationis codice manu scripto exstant; immo est ubi sententias non absolvit. Huius rei exemplum esto Continuationis §¹ 74 initium: *Fuit Nigrinus ipse natione Silesius ... à D. Palatino Dönhoff valde ... aestimatus; utque cum VALERIANO MAGNO CAPUCINO (qui editis antehac de Catholicae et Acatolicae fidei Regula Libris etc.; hic habetur in uncinulis de Val. Magni informatio longior. Post uncinulum alterum sequuntur haec:) Nigrinus ergò ut concredi auferet, à D. Palatino conviciis proritatus fuit: Religionis proditoribus fore ipsos Theologos nostros dictitans, tam intempestivo silentio et metu. Patet sententiam longiusculam adnotacione itidem longiuscula esse interruptam, ita ut verba Nigrinus et ut post uncinulos auctori repetenda fuerint. Tali libertate ad hunc diem omnes utuntur, qui orationem ex abrupto nectunt. Nihilominus Hendrich verba Nigrinus ergò ... proritatus fuit ante uncinulos posuit, sententiam totam uncinulo secundo concludens — sensumque una confundens; nam illa D. Palatini convicia lector Bohemus cum illo de Theologis proditoribus iudicio coniungere vix poterit. Ceterum illud *dictitans*, ut Souček monuit, *συρτακτικῶς* ad Nigrinum pertinet, D. Palatini convicia repetentem; si ad D. Palatinum ipsum, ut Hendrich interpretatus est, *dictitante* esset legendum.*

Syntaxeos anomaliae certe uno eodemque tractu cum interpunctione anomala erant tractandae. Quantopere utrumque etiam lectorem peritum confundere possit, exemplum simplicissimum iamque ultimum v. §^o 17, ubi Comenius interrogationem „rhetoricam“ ponens statim responcionem dedit: *annon igitur sublevare te* (nempe Maresium ab indomitorum affectuum sarcina), *si possum, debeo? utique*. Škarka, illius *annon* quasi oblitus litteramque minusculam in *utique* nimis magni faciens, signum interrogationis delevit neque hanc correcturam adnotacione ulla dignam habuit.

Aberrationum syntacticarum simulque locorum bene traditorum ultimus esto ablativus absolutus §^{um} 101 (quae mox specialiter tractabitur) concludens: *quae praeterea ex usu illius Ecclesiae fore visum est constitutis*. Hunc Souček iure defendit, utut illa *quae ... visum est* a Latinitate bona aberrare iudicans. Longius certe simile de D. Calovii manuscripto enuntiatum aberrat, ubi sic: *Ita haec D. Calovii manu scriptum mihi communicatum fuit: meis vidi oculis, et publice haec narro* (§ 92). Pro illo primo *haec* Hendrich *hoc* suggestit, Souček applausit. Non habeo quod obiciam, nisi vix diiudicari posse, pronomenne dubium ad illa *insperata* (de insidiis Calvinismo, scholarum reformationi, Pansophiae positis) an ad nuntiorum illorum insperatorum ultimum (de Pansophia) sit referendum; si ad illa,

certe auctor *haec* scripsit (sententiam post revisere operis esse pretium non putans); si ad Pansophiam, fortasse *hoc*.

Hactenus de lectionibus bonis (vel potius ab auctore originem trahentibus) non bene tractatis. Restat lectiones vere corruptas expendere: primo, quales modo tetigi, menda scil., quae auctori corrigere non vacavit; secundo, errores vere typographicos. Hi (in Continuatione saltem) plerubique sunt leves, illa longe graviora priusque nobis tractanda.

Locorum ab auctore ipso confusorum exemplum modo vidimus (illud *haec* duplex § 92); praeter ceteros vero Comeniologos § 101 distinuit, tribus constants sententii compositis (quas nescio an periodos vocari fas sit), quarum tertiam iam Kvačala stupuit (illoque *sic* mala alite addito ornavit, v. supra) virque doctus Souček verbis *quae... visum est* fere collaudatis ex parte defendit. Nos totam retractemus. Comenius, Lesna in Transylvaniam iter faciens, i. a. per Puchoviam proficiscebatur; hic *factum est*, inquit, *ut hunc Puchoviensem conventum sacri convivii celebratione clauderemus; renuntiatione praemisso in Pastorem Ecclesiae illis Johan. Effronio (prior enim paulo ante decesserat) à meridie verò Ecclesiae Senioribus per suffragia electis et ordinatis, et quae praeterea ex usu illius Ecclesiae visum est constitutis*. Illud *renuntiatione praemisso* Souček in *renuntiatione praemissa* mutavit ablativumque gen. masculini (ad *J. Effronio* praedicatum) ex sequenti *ordinatis* tacite extrahi suasit (nam phrasis in *pastorem praemittere aliquem* praesupponi vix potest). Quae est loci corrupti emendationum propositarum optima, nec tamen mea quidem sententia bona. Loci sensus ipse nil habet obscuritatis — nam Effronius in Pastorem mane est renuntiatus (cf. *Chodnicium... in Antistitem renuntiavi*, § 100), Seniores a meridie ordinati, cetera necessaria constituta; haec acta trieno ablativo absoluto auctor complexus est; at si Souček coniectorem sequamur, ablativus primus (*renuntiatione praemissa*) novi ablativi absoluti ope (*Effronio*, scil. ordinato) explicaretur! Syntaxeos sic confusae nullum adhuc exemplum in Comenianis inveni. Opinor auctorem, ut alibi saepius, sic etiam hac vice rectiones duas contaminasse vel potius confusisse, scil. *renuntiatione praemissa* (Effronium in Pastorem esse ordinatum) et *renuntiato... Effronio*; locumque sanari non posse, philologorum cruce signandum esse.^{19a}

Minorem quandam crucem illa de Operum didacticorum omnium editione maturanda narratio criticis erexit. Haec opera secundum Rulicii sententiam *minora erant* (prae Pansophicis), *ideo leviori brachio tractanda, cum parata jam sint; nisi quod revisione aliqua, et sphalmatis repurgatione, opus erit* (§ 126). Mandaverunt igitur Comenio DD. Consules *Didacticorum editionem maturare*. Factum est: *Festinabam ergò, refert Comenius, in prioribus (inprioribus liber) Tomis tribus (Elaboratorum scil. in Polonia, II in Svecia, III in Hungaria) quartò, Actorum Amsterodami* (§ 127). Sententiae finem lacunosum esse Hendrich est suspicatus, sed totam quasi refecit, vertens sic: *Spěchal jsem tedy, abyh k prvním třem svazkům ... připojil čtvrtý, práci provedených v Amsterodamu*. Aliud temptavit Souček, illum scil. ablativum *quartò* a praepositione *in* (prioribus) itidem dependere credens. Si hoc recte, coniunctio quaedam desideratur (*et quartò* aut *quartòque*); et quod maioris est momenti, si auctor in omnibus quattuor tomis nil nisi festinavit, cur de quarto mentionem separatim posuit extraque uncinulos protrusit? Enuntiati

^{19a} Anno post hanc commentationem absolutam tertio illis ut aiunt correcturis incumbens aliter locum desuperatum sanari malim: nempe pro illo *renuntiatione* legendo *renuntiato* (Comenius enim Effronium Puchoviam ante praemiserat praemissumque renuntiavit etc.). In autographis Comenii senis ablativi *-ato* et *-atione* (abbrev.) difficillime discernuntur. Tali quidem emendatione verborum ordinem minus decentem factum esse fateor — sed in fragmento tam festinanter adumbrato quid obstat?

pars altera variis certe modis suppleri posset; e. g. *quarto... mox incubui, quarto... manum appositurus*, aut si accentum circumflexum respectamus,²⁰ *quartó... ocellum Urbium, Belgii decus celebraturus* etc. Tale quid typhotheta facile transilire — aut, quod veri similis videtur, auctor nimis properans omnino non scripsisse potuit. Qui cum trium tomorum contenta stans pede in uno enumeravit, contentis animo applicato acta Amsterodamensia tomo quarto esse comprehensa subdidit nec sententiam propositam absolvit.

Tertia corruptela ab auctore, ut mea fert opinio, ipso perpetrata § 104 exstat. Hic sermo est de Comenii primo cum Racociis congressu; qui ei Lesnam revertenti *Cursorem Equitem (tum ad securitatem in via, tum ad viam ad me Lesnam discendi) adjungunt* etc. Illud *discendi* Hendrich in *discendam* mutavit, ego ipsa Suecicis *discendum* suggessi; nam auctor gerundium gerundivo praeferre solebat, ceterum trinum *-am (viam... Lesnam discendam)* ab ipsius usu abhorret. At respectu ut dicunt palaeographico neutrum sibi constat: *-um* aut *-am* in *-i* mutare vix typhotheta potuit. Est et tertia via, qua corruptela nasci potuit: auctor post illud *ad securitatem* symmetriae causa *ad viam* scripsit, sed ubi *ad me* secutum est, verba *ad viam ad me* ex consuetudine abominans bino *ad (securitatem) -ad (viam discendum)* rectionem praetulit asymmetricam, scil. *ad securitatem... viam ad me Lesnam discendi (causa)*; illud *causa* in mente tantum habens,²¹ *ad (viam)* odiosum delere oblitus. Talis quidem interpretatio ambagiosa potest videri, sed locis in Comenii autographis corruptis bene fulta est. Potest igitur locus suspectus etiam sola *ilium ad (viam)* athetesi emendari: *tum ad securitatem in via, tum viam ad me Lesnam discendi*.

Nunc de erroribus vere (aut verisimillime) typographicis. Tales plerumque correctu sunt faciliores. In Continuatione maxima eorum pars a Latinitatis tirone tolli posset. Sic vocis unius divulsio aut duarum in unum confluxio (ad *hiberi* 39, *aditer* 99), unius litterae omissio, additio, cum alia permutatio (*vam* pro *viam* 24, *obviandum* pro *obviandum* 44, *Viritalis* pro *Veritalis* 51), syllaba perdita aut addita (*Paedagiarchatu* loco *Paedagogiarchatu* 60, *eristiticis* loco *eristicis* 1); ac sicubi errore tali vox vel forma grammatica alias vere existens est nata, emendatio ex contextu in promptu est, e. g. *Duo* pro *Dno* = Domino 82; *Paschae* cum ligatura pro *Pascha* (celebraturus) 99;²² *angustum* loco *angustum* in sententia *quia prius hospitium angustum fuit, conductae ampliores sedes* 124; quater *aliquod* loco *aliquot* et sim. Talibus iam dudum (fere omnibus) sanatis hic immorari nolim; tanto minus mere orthographicis.

Hoc tandem loco errores typographici paulo maioris momenti recensendi veniunt, qui sunt paulo plures quam 20. Horum pars longe maxima bene est a viris doctis correctata. Sic iam Kvačala in docti cuiusdam de *Pansophiae prodromo iudicio (Videtur Comenius quendam lucis thesaurum habere, quam transferre in usum nondum sciat, § 49)* pronomen *quam* iure in *quem* correxit; certe enim de usu thesauri (= Pansophiae), non lucis agitur. — Maresio de suis Londinii actis narraturus Comenius, *Nec reticebo, inquit, sequentia, ut melius prospicere incipias aliena historiae infelix recitator (§ 53); pro aliena recte Kvačala alienae.* —

²⁰ Accentu circumflexo casus ablativus declinationis 2^{ae} saepissime in Comenianis ornatus est, contra dativus rarissime, idque ni fallor in libris tantum typis expressis.

²¹ Genitivum gerundii praedicativum, medio aevo satis divulgatum, Comenius aliquot locis usurpavit, v. J. Nováková, *Gerundium editorum scopulus*. LF 93, 1970, 246 ss. Hunc ipse per illius *causá* ellipsin interpretatus esse videtur.

²² Cf. genitivum *Paschatos* § 99, 100, 101; acc. *Pascha* apud Patera, *Korespondence* 221, pag. 257; abl. *Paschate* ibid. 5, pag. 6. Secundum Grammaticam januaalem idem nomen tum est indeclinabile, tum heterocliton heterogenesque, v. V, 55, 2 *Pascha, Manna, Mammona in libris sacris non declinantur: apud Ecclesiasticos scriptores reperitur, haec Pasch-a ae: et hoc Pasch-a -atis*; similiter *Lexico jan. XXV. P sub 24 et Grammatica atriali V, 16.*

Valerius Magni disputatione (collatione) cum Nigrino regis Polonorum iussu interrupta quotidie *inchoatâ Collationis continuationem sollicitavit* (§ 74). Ut constat, -â erroneum ut ex ligatura -am, sic ex -ae nasci potuit; hoc loco Kvačala bene *inchoatae* restituit. — Ex eodem Nigrino, pontificiis se aggregare properante, *Quaerebant* sec. §^{um} 81 *Episcopi, quomodo nos reddere vellet securos, quod actionibus suis non illudere instituat Ecclesiae Romanae?* Pronominis *nos* littera prima inversim est exscripta vixque legibilis, quod editori lectionem meliorem *eos* suggerere potuit. — Regni *Bohemiae Proceres* ad Principum Imperii Collegium Francofurtense *solemne... Legationem (octo Baronum, octo Equestri, et totidem ex Civico ordine) expeditivisse* §^o 98 narrantur; loco *solemne* (quod adnomen Comenius cum *l* unico scribere solebat) bene Kvačala *solemne*. — Corruptelam ut ita dicam duplicem in §^o 67 exstantem ex parte tantum vidit sustulitque Kvačala. Ibi enim legitur: *Clarum est Christi testimonium, Cum Filius ho-* (paginae 25 linea 13 explicit) *venerit etc.* Apud Kvačala *hominis*; sed illud *minis* in lineam 15 cecidisse virum doctissimum fugit. Lineis quippe 14/15 legitur: *venerit, an putas fidem inveniet in Terra? Nunc autem adventum Christi ad iudicium | minis jam jam expectamus omnes etc.* Illud *minis* Souček et Hendrich ut *minis* sunt interpretati; non mutandum, sed ad syllabam *ho-* esse addendum Škarka demum ingeniosissime perspexit.

Reber praeter locos aliquot supra allatos bona alite mihi quidem phrasin unam §ⁱ 90 correxisse videtur. Ibi enim de theologis Romano-catholicis *ante Thoruniense colloquium* Comenii benevolentiam captantibus est sermo, qui i. a. *frustra Evangelicos metuere, sincere animo veritatis cognitionem, et in pace coalitionem, optari* (a pontificiis scil.) protestati sunt. Adverbium *sincere* (sine accentu expressum) in *sincero* Reber mutavit, assentiente Hendrich (*upřimná touha* pag. 82). *Sincere animo* non quidem ita male, cf. Catulli locum satis notum 109,4 *sincere... et ex animo*; sed accentus absentia, porro phrases ut *sincerus animus* (Seneca, Dial. XII, 11, 6), *sincera mens* (2 Pet. 3, 1) et abl. *sincera affectione* (Phil. 2, 20 sec. Vulgatam), loci denique plurimi, ubi typographus loco *o* in Comenii manuscriptis e vel vice versa vidit expressitque, ad emendationem Reberianam *sincero animo* animum inclinans.

Plura Souček correxit, ingeniosissime sententiam de Moseri morte: *Moserus ad plures abiit* (§ 42), sec. Souček *ad patres*. — In §ⁱ 97 initio *Lesnam redii*; *ibique dies aliquot Conjugem dilectam ... sepelivi* vir doctus praepositionem *post* omissam supplevit (utut ante *Conjugem*, recte ante *dies*; hoc ceterum simplicius quam alia, e. g. *dies aliquot commoratus*). — In colloquio Thoruniensi trimestre totum in *solis praeliminaribus (observandi scil. in Colloquendo postea titulis, aliisque nugis)* est consumptum (§ 88); sec. Souček *observandis etc.*

Iosephi Hendrich correcturarum felicissima est illa in §^o 99, ubi de Comenii itinere Hungarico agitur deque Sigismundi Racocii epistula, quae *hanc ipsam perfectionem valide promovit*; pro *perfectionem* vir doctus *profectionem* substituit, ceterum praefixa *pro-*, *per-*, *prae-*, passim in Comenianis confunduntur. — Idem bene pro numero singulari pluralem in narratione de P. Schönhoffio et Claio, ex quibus *varia audivi*, inquit auctor. *Laudes imprimis Januae lingvarum, quam illi quoque discipulis explicarent. Et desiderium Januae Rerum... cujus Prodromum vidissent. Tandem de instante Thoruniensi Colloquio... Rogare autem (postquam ex D. Nigrino quo loco apud meos essem intellexisset), ut nos quoque homines pacificos eo mittere vellemus etc.* Sec. librum *intellexisset*, sec. Hendrich *intellexissent*. — Hic idem de Parlamenti Anglici promissis, quae in ventos abierunt, §^o 54 legens iure desideravit quiddam: nam *infelix una dies, de Hibernica laniena et exorto ibi bello, nuntium ferens, disturbavit consilia omnia, tota hyeme*; sec. Hendrich *tota hyeme perditâ* (abl. absol.). Contra Souček, attributum quoddam accusativo illi *consilia* periisse

opinans, *inita* coniecit, resp. *capta*. Ego vero participium verbi cuiusdam durativi suppleri malim (*tota!*), forsán *fota*; tale typographus facilius omittere poterat, dittographiam (*tota — fota*) suspectans. — In § 120 ablativo absoluto longiusculo nil verbis expressis correxit Hendrich, versione tantum emendationem suggerens: *assumptisque duobus... Ecclesiae alumnis (Paulo Hartmanno et Sam. Junio; ille nunc Satburi in Anglia, hic Puchoviae in Hungaria, Ecclesiaste)*, Bohemice ... *onen jest nyní kazatelem v Satburu... tento v Púchově*, quasi Latine *Ecclesiastes* aut *Ecclesiastae* legeretur. Hoc plurale certe praeferendum, nam *-e* loco *-ae* passim in aevi humanioris codicibus librisque expressis occurrit.

De Continuatione restituenda omnium optime Škarka meritis est, qui i. a. Comenii fontium ut nemo rationem habuit. Quo factum est, ut in legum Carolinarum allegatione duo menda sustulerit: primum in sententia *Sciat ergo se, quisquis hoc perpetraverit, ut tali poenitentia purgandum, sicut de perjurio, aut tali damnatione* etc. (in Dedicatoria, fol. *4 r sub IV), ubi pro *ut... aut bene aut... aut* scripsit, capituli citati textum secutus;²³ alterum duplex, vere notabile ibid. sub VI, ubi bis est sermo de *mallo* (i. e. saeculi IX¹ *de maioribus causis comitiis iudicialibus*) — sic Škarka, in Continuatione utrobique *malo* legitur. Immo etiam in legum Carolinarum loco citato per errorem *malo*;²⁴ ita ut incertum sit, an t. t. *mallus* omnino Comenio notus fuerit. — § 13 Thomae Browne liber *Religio medici* est memoratus, ut idem vir doctus evestigavit; in textu tradito abbreviatum corruptumque *Prel. med.* extant (nam *Pr* et *R* in auctoris autographis saepe moleste discernuntur). — Citationem epistolae apostolicae § 18 male traditam *1 Joh. 3; 10* Škarka in *1 Joh. 3, 20* mutavit. — Idem dittographiam § 25 sustulit, ubi *ego de temperando charitate Zelote, Te admonens* habetur; apud Škarka (tacite) correctum *ego de... zelo Te admonens*. — Sec. libri § 32 *satanas est mentibus aperte, Non morituros esse* (Adamum et Evam dicens); apud Škarka *mentitus*. Alia per occasionem supra memoravi.

Paucula tantum Suecis emendanda sunt relicta: citatio *Eph. 4; 16*, recte *5, 16* (§ 14); *ἀρροσίαν*, recte *ἀρροσίαν* (§ 35; agitur de uno Maresi conviciorum, Antirrheticus I, 6 bis); *interiorem Hungariam* (scil. adiit Comenius, § 100), *dále do Uher* sec. Hendrich, *inferiorem* sec. Suecos (cf. § 102 initium) — quae tamen emendatio superflua videtur. Meas ipsius coniecturas praecedentibus passim inspersi.²⁵

Si ex corruptelis, coniecturis, emendationibus unicum libellum attingentibus generalius quid extrahi potest, monitiunculas duas subiunctas velim. Primo, emendationum temere praesumptarum magna pars inde venit, quod Comenii syntaxis

²³ KAROLI MAGNI ET LUDOVICI PII *Christianiss. Regum et Imp. Francorum Capitula sive Leges Ecclesiasticae et civiles ab Ansegiso Abbate et Benedicto Levita collectae libris septem, adiectis etiam aliis eorundem Regum et KAROLI CALVI capitulis. Editio altera... Parisiis MDCXL. V. librum VII, 179, fol. 228a.*

²⁴ Op. cit. lib. III, 31, fol. 49a. In aliis capitulis tum *mallus*, tum *malus* habetur; in Glossario Legibus subiuncto *Mallus* cum phrasibus e fontibus medii aevi excerptis, ut *mallum tenere, ad mallum comitis sui venire* et sim., p. 50 s.

²⁵ Jan-Olof Tjäder, universitatis Uppsaliensis professor voluminisque autobiographiam Comenianam complectentis retractator, adnotationum mearum criticarum unam immutavit, ut ipsius litteris die 24. Februarii 1975 ad me datis certior facta sum. Agitur de illa Moseri ad *plures* abeuntis § 42 mentione, ubi Souček ad *patres* coniecerat; quam coniecturam diu defendi, suspicans Comenium *pres* scripsisse. Sed in *Clamorum Eliae* codice autographo, abbreviaturus omne genus abundante, quem nunc enodatum habeo, nusquam nom. aut acc. *patres* abbreviatum inveni; et quod gravius est, in Lexico Atriali s.v. *Mori* Comenius phrasin Plautinam ad *plures penetrare* (Trinummus 294) laudat — qui locus me ante fefellit. Latinitatem Comenianam Plautinis scitere constat, coniecturam Součkianam in numero superfluarum refero.

stilusque nondum satis sunt excussa. Huc Comeniologos, qui una sunt philologi, ante alia incumbere optandum est. Secundo axioma antiquum, nunquam negligendum, multoties tamen neglectum pro sigillo apponatur: editio critica nequaquam textum facilem, normis Ciceronianis vel potius scholaribus satis facientem, sed textum authenticum, ex auctoris officina emissum, utut multa insperata, nonnulla imperfecta, immo quaedam confusa exhibentem, lectori docto proponere debet.

